



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vinitor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Ademque argumento cum superiori, quod nonnulli Jonicum figmentum putant, ceterum pictorum & sculptorum ingenio variatum. Alterum tamen hoc patremfamilias frugi, familiam vero prodigam & perditam ostendit: nimirum enim nodum plicare, significat congerere, accumulare, rem facere: dissolvere vero, destruere, disperdere atque prodigere. Sane apud Plin ubi opera Aristolai Pausiae filii recensentur, inter alia est piger qui appellatur Ocnos spartum torquens, quod asellus abrodit: quamquam hoc eo significato accipi potest, ut ignavorum opera excipi a pernici intel- ligamus.

BONUM OMEN. CAP. XIX.

Quod vero simulacrum & Asini & Asinarii aeneum est ab Augusto dicatum, utriusque nomen in causa fuit, quod ab his ipse victoriae praesagium cepit, cum apud Actium ei in aciem descendenti facti obviam essent, agasioniq; nomen Eutycho esse, bestia vero Niconi intellexisset: quid enim non bene ominaretur victoriae nomen bonae fortunae junctum? Sed habuit augurium hoc aliquid quod movere posset, cum tam speciosa essent nomina: quid autem in illo fuerit, mirum est, quod **C.** Mario apud Fanniam Minturnis custodiae credito, Asinus, qui ruditu quodam ingenti vociferatus fuerat, in domum ejus a fonte cursu rapido profectus, sperandae salutis maritimo itinere augurium dedit. Jam & in augurali si quis aegrotet, vidisse Asinum qui a lapsu se sustulerit, indicat eum convalitutum, in omnibus dicente quopiam, *Viden' ut Asinus sese erexerit*: decumbentem indicat surrecturum.

VINITOR. CAP. XX.

Ne tamen animalis istius stuporem, segnitiam & ruditatem usquequaq; deludamus, grati animi opus fecerimus, si qua nos parte juverit, exposuerimus, & illi pro merito gratias habuerimus. Siquidem vineas colere non alio nos doctore didicisse, nonnulli tradunt, quam Asino, quando is putandarum vitium & author & praemonstrator fuerit. Nam abroso ab eo vitis palmitis, vindemiam inde teraciorem provenisse observatum est: idque summa secuti diligentia mortales, latior rem sibi quotannis proventum compararunt. Ejus rei monumentum Naupliae spectabatur, ubi lapideus Asinus grata posteritatis memoria dedicatus fuerat. Huc illud addam, quod is neq; mortuus quidem officium facere desistit: siquidem Vadimonius compertum ait, calvariam ejus in hor- torum medio depositam, ad loci fertilitatem facere.

OCHUS REX. CAP. XXI.

Ochum autem Persarum regem *ἰσχυροφικῶς*, per Asini simulacrum in primis Aegyptii notave- re, qui cum maxima intercedebant odia, ut fieri solet, inter eos qui de imperio, deq; libertate dimicant. Hic est Ochus ille avaritia in primis famosus, adeo ut urbem eandem intrare num- quam voluerit, ne aureos, qui singuli singulis mulieribus ex lege Cyri debebantur, erogaret. Unum *Cyrus & O-* miror, apud Tertullianum Cyrum eundem Ochum dici, hunc inquam quem Aegyptii sceleratum *ochus* pollututumq; Asinum cognomento vocitabant, in quos ille, ut Dion scripsit, haec est retorquere solitus, *Asinus profecto vestrum devorabit bovem, Aping, ita postmodum mactavit, Asinid, eos imaginem au- ream compulit ad aure, quo nihil illi unquam ignominiosius accepere.* Falsum verò illud est, & ab omni **D**veritate alienum, quod Cornelius Tacitus tradit de Asinino capite, quo de superius, a Judaeis loco numinis habito, in quo impudentissime mentitur, & ea de causa mendaciorum loquacissimus a Ter- tulliano appellatur: ac perinde vanus est in Judaeorum origine repetenda, dum eos modo Creta, modo Lybia oriundos scribit, modo Aethiopum prolem comminiscitur, & in omnibus quae de Moyse loquitur, deliria mera ponit. Aegyptiorum autem exemplo, Clisthenes cum infestissimo Sicyonios o- dio prosequeretur, eorum tribus in ridicula cognomenta commutavit, eas tum *ὄατας*, tum *ὄνείατας*, tum *χοιράτας*, appellando; *Suavios* quippe, *Asinios*, & *Porcarios*.

LABOR INDEFESSUS ATQUE SERVILIS. CAP. XXII.

Receptum & illud est, servilem laborem per Asinum clitella instratum significare, cujus rei causa magis vulgo nota est, quam verbis explicari necesse sit: quippe quod animal indefessi fit

T

labo-